





10273

1741, 6. <sup>M</sup>

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
 DE  
 DIVERSA  
 LEGIS NATVRAE  
 CONCIPIENDAE RATIONE

QVAM

EX

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
 AVCTORITATE  
 IN ACADEMIA LIPSIENSI  
 DIE VI. DECEMBRIS A. M DCC XLI  
 PVBLICAE DISQVISIONI SISTIT

4 1/2

IOH. GOTTLIEB IOACHIM  
 A. M.

RESPONDENTE

HIERON. GEORGIO GLÖCKNERO  
 FREIBERGENSI.

---

LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

*Prof. J. J. Ober C*



DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
DIVERSA  
LEGIS NATURALIS  
CONSPICIENDAE RATIONE

CVMM

ET

APPROBATIONE PHILOSOPHICAE FACULTATIS

AVGUSTANAEE

IN ACADEMIA ALBERTINA

DE VI DECEMBER A. MDCCLXXV

AVGVSTAE

JOH. GOTTLIEB JOACHIM

A. M.

RESPONDENTE

HERRON GEORGO GÖTTSCHE

PRAEFATO

PRINCEPS

ALBERTINA

V I R O  
ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
CHRISTIANO OTTONI  
M Y L I O

ICTO CELEBERRIMO

POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIIS  
SECRETIORIBVS, RERVVM BELLI AVLAE ATQVE  
IVSTITIAE CONSILIARIO, SVPERIORIS COLLEGII  
AD QVOD ADPELLANDO PROVOCATVR ADSESSORI,  
ET IN IVDICIO CASTRENSI PRAETORI SVPREMO,

RELIQVA

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO,

QVA DECET SVBIECTIONE

HAEC

CONSECRAT

IOHANNES GOTTLIEB IOACHIMVS

A. M.

V I R O  
I L L V S T R I E T E X C E L L E N T I S S I M O  
D O M I N O  
C H R I S T I A N O O T T O N I  
M Y L I O

I C T O C E L E B E R R I M O  
T O T E N T I S S I M O T R A N S O R V M R E G I S A C O M I T E S  
S E C R E T A R I V S R E R V M R E P U B L I C A E A T O R E  
I V S T I T I A E C O N S I L I A R I O S V P E R I O R I S C O L L E G I I  
A D Q U O D A P P E L L A M O T R O V O C A T V R A D V O C A T V S  
E T I N I U D I C I O C A V S A M I T R A N S I T I S S I M O  
P R O C E S S V S

D O M I N O S V O G R A T I O S I S S I M O

Q V A D E C C E T S V B S C R I P T I O N E

H A E C

C O N S I D E R A T

I O H A N N E S G O T T L I N S I O G A T H N I V S

A M



DE  
DIVERSA LEGIS NATURAE  
CONCIPIENDAE RATIONE.

---

PROOEMIUM.

§. I.



Digna sunt disquisitione, quaecunque a natura inuoluta videntur: neque temerarium, neque indignum sapientis grauitate et constantia est, ea, quae satis exploratae percepta sunt ac cognita sine vlla dubitatione defendere. Cum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint: tum perdifficilis, beneuole lector, quod tu minime ignoras, et perobscura non paucis quaestio est de vera legis notione. De qua tam variae exstant doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, vt magno argumento esse debeat, rem omnem mereri attentionem, eamque dignam esse, quantum licet, vt distincte exponatur. Non pauci sunt iuris naturae scriptores et recentiorum et veterum: tanta tamen in definienda lege

VI DE DIVERSA LEGIS NATVRAE

naturae sunt in varietate ac diffensione constituti, vt eorum molestum sit enumerare sententias. Nam et de legis concipiendae ratione, et eius auctore et necessitate legislatoris, aliisque, multa dicuntur, de quibus summa philosophorum diffensione certatur. Quod vero maxime rem causamque continet, est: vtrum non attendendo ad auctorem recte possit definiti: an contra ab eo in definienda lege licite absteineatur; in eoque magna in primis diffensio est. Eaque nisi diiudicetur, in errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignorantia versari. Non tamen lis commode potest definiti, nisi antea ea omnia, quae ultimo disertationis §. praemisimus, sint satis superque pensitata. Omnia itaque, quae in ipsa schedula conspiciuntur, titulo, quemadmodum putamus, ex asse respondent. Si tamen praeter opinionem superflua quaedam irrepsissent, te iudicem, lector beneuole, aequum habemus. Non commendamus pagellas, neque aliorum eiusmodi generis scripta nostro postponimus: sed omnium, qui legere eas non fastidiunt, iudicio omnia committimus. Quo autem scirem, in quantum scopo meo satisfecissem, publico hanc tractationem examini submittere non dubitavi: neque in alias abire partes, sufficientibus conuictus argumentis, detrectabo, quoniam de legis notione scribens nec mihi nec aliis in opinione a veritate aliena perseverandi legem impono. Qui vero tractationem hanc ceu aridam sterilemque existimauerit, eidem felicioris expositionis gloriam non inuideo. Sed neque refert, iis displicere, quibus placere displicet.

\* \* \*

TRACTA-



## TRACTATIO.

## §. II.

Vocabuli LEGIS significatum varium esse, scripta *Variis voca-*  
 philosophorum docent. Sic SPINOZA *tract. buli LEGIS*  
*theol. polit. c. 4.* „Legis nomen, inquit, *absolute significatus.*  
 „sumtum significat id, secundum quod unumquodque in-  
 „diuiduum, vel omnia, vel aliquot eiusdem speciei vna ea-  
 „demque certa ac determinata ratione agunt. Alii ar-  
 ctius legis notionem finiunt, regulamque, quam entia li-  
 bera in agendo sequuntur, legis nomine notant. Alii re-  
 gulam quamcunque in se consideratam huius ideae com-  
 plexu comprehendunt. Alii regulam agendi, superioris  
 imperio constitutam legem, adpellant: et qui sunt  
 adhuc alii legis significatus. Ne varius tamen vocabuli  
 vsus aliquam creet obscuritatem; consultius esse videtur  
 per adiectum praedicatum determinare, cuiusnam generis  
 lex intelligatur, ex quo pateat, vtrum de lege naturali, an  
 physica, an morali, an denique alia quacunque legis spe-  
 cie fermo sit. Qui vero generalem legis notionem ex-  
 ponere constitutum habet, diuersarum legum specialium  
 notiones rite disponere debet, prouti altera vniuersalior  
 alteram specialiore excipiat. Sic v. g. regulae notio ad  
 cuncta legis nomen habentia adplicatur; legem, quam  
 vniuersalem vocamus, et ad physicas et ad morales exten-  
 dere licet, cet. Qua via et nos progressuri omnem vo-  
 cabuli LEGIS ambiguitatem tollere adlaborabimus.  
*Vid. celeb. AVG. FRID. MÜLLERI schediafma de notio-*  
*ne legis p. 4. 5.*

Quomodo lex differat a consilio, pacto et iure, satis fuse explicat  
 PUFFENDORF. *in l. N. et G. Lib. I. c. V. §. 12.* Discriminis ratio  
 est in determinatione varia. Non tamen negamus, regulae notio-  
 nem in consilio cet. latere.

## §. III.

*Quid sit  
regula.*

Regula est propositio enuncians determinationem rationi conformem. Nimirum haec ex metaphysicorum scholis repetenda sunt, ubi docetur, quemlibet ordinem sua gaudere ratione. Ratio autem ordinis illud dicitur, quod sufficit quaerenti, cur plura, quae simul existunt, conveniant? Determinatio itaque rationi conformis ea dicitur determinatio, quae petitur ex eo, cur plura simultanea convenientiam habeant. Quae determinatio si tamquam praedicatum subiecto, quod determinatur, iungatur, ut inde exurgat propositio, adpellatur regula. E. g. si quis libros certo ordine velit disponere, ratio ordinis vel ex argumentis librorum, vel ex varia eorum forma, vel ex ligatura etiam peti potest. Ex quarum numero si unam eligat atque libros secundum eam, v. g. secundum argumentorum rationem disponat: series librorum determinatur rationi conformiter. Haec itaque propositio: Libri secundum argumentorum rationem disponendi sunt, exhibet librorum disponendorum regulam. *Vid. WOLFFII Ontol. Lat. §. 472-475. KOEHLERI I. N. et G. §. 345.*

Confundi saepissime legis atque regulae vocabula in communi sermone constat: nihilominus tamen quandam ab usu vocum tyranno differentiam introductam, eamque vero minus constantem deprehendimus. Sic non solemus regulas grammaticas leges vocare licet aliis legis nomen imponamus, quibus regulae potius conveniret adpellatio. Non tamen consuetudine sic tenetur philosophus, quo minus diversis nominibus notet, quae sunt diversa, et nova, urgente necessitate fingat signa. Quod nec CICERO suo calculo confirmare dubitat de finibus L. III. c. 4.

## §. IV.

*Definitio legis in genere.*

Regulae definitionem legis in sensu latissimo sumtae definitio excipit, quatenus scilicet sub se comprehendit actiones rerum animatarum et inanimatarum, adeoque et  
physicas

phyficas et morales. Lex itaque in eo significato est regula, iuxta quam substantia agit. Liquet autem omnem substantiam agere, (*per princ. cosmol. et psychol.*) adeoque ordinem certum in agendo sequi debere. Regulis itaque conformiter quaelibet substantia agit. Melius tamen fore, si inanimatas res regulam; animatas vero legem sequi dicerent eruditi, quo ipso artis characteristicae praeceptis satisfacerent, lubens largior.

§. V.

Ab ea legis in sensu latiori definitione legis moralis *Legis moralis definitio.* in genere definitio, sicuti species a genere, distat. Dicitur vero lex moralis regula, iuxta quam substantiae rationales liberas actiones determinare obligantur.

Puffendorpius definit legem *per iussum superioris inferiori promulgatum, ipsamque obligantem.* Sed haec non est legis in genere definitio. Eorum potius menti responder, qui obligationem naturalem tollunt, bonitatem ac malitiam actionum intrinsecam negant, easque antecedenter ad voluntatem Dei, tanquam superioris, in uniuersum omnes indifferentes iudicant. Quum vero intrinsecam actionum malitiam atque bonitatem et a philosophis veteribus et theologis iam demonstratam habeamus: eo tutius legem ita definire licet, prouti fert diuersa obligatio ad actiones quasdam committendas, quasdam vero omitendas. Vid. CVDWORTHII *Syst. Intell. de aeternis iusti ac honesti notionibus.*

§. VI.

*Leges suas habent rationes.* Etenim leges sunt regulae, quibus conformiter actiones nostras determinare obligamur (*§. V.*). Quapropter quum regula sit propositio enuncians determinationem rationi conformem (*§. III.*): leges autem sint propositiones, quae enunciant, quomodo actiones liberae rationi conformiter determinari debeant: leges suis non destituuntur rationibus. *Leges habent rationem.*

Non est, quod excipias, in legibus humanis superioris voluntatem stare pro ratione. Quamquam enim in voluntate superioris, ignota licet ratione, adquiescendum sit: non tamen exinde extorquebis,

X DE DIVERSA LEGIS NATVRAE

quebis, legislatorem nullam in ferenda lege habuisse rationem. Si-  
quidem cum entibus moralibus res est, quae sine motiuis neque  
volunt neque nolunt: adeoque et auctor legis nunquam abs-  
que motiuis agit. Motiuum vero est ratio sufficiens  $\tau\acute{e}$  velle et  
nolle. Motiuum itaque seu ratio, cur hanc potius, quam aliam  
subiectis legem praescripserit superior, latae legis est ratio: quae,  
si iusta est, bonam legem esse indicat: sin minus; malam atque in-  
officiosam arguit. Non enim perinde est, ob quam rationem  
superior legem ferat. Decet, superiorem detrimentum ciuium, cum  
iniquis legibus coniunctum, omni adhibito studio euitare, ne indig-  
nus, qui imperet, ab ipsis iudicetur. Egregie PLATO in epistola  
ad Perdiccam, teste CICERONE ad diu. L. I. ep. 9. tantum con-  
sistere in re publica optimates iubet, quantum probare suis ciuibus  
possint: vim neque parenti neque patriae adferri oportere.

§. VII.

*Quid iuret  
legis nosse  
rationem.*

Quoniam ratio docet, cur aliquid sit, ex legis quoque  
ratione intelligimus, cur alias actiones committere, alias  
omittere teneamur; seu: cur actiones hoc nec alio modo  
determinandae sint.

Tres sunt potissimum legum rationes. Sunt enim vel morales,  
quae a rectitudine actionis petuntur; vel historicae, quae a factis;  
vel legales, quae ex alia lege desumuntur.

§. VIII.

*Legis natu-  
ralis defi-  
nitio.*

Lex naturalis seu naturae est, quae rationem suffi-  
cientem in ipsa hominis rerumque essentia ac natura  
agnoscit. Vid. WOLF. phil. pract. vniu. P. I. C. II,  
§. 135.

GROTIUS de I. B. et P. Lib. I. c. I. §. 10. n. 1. ius naturale  
definit per dictamen rectae rationis indicans actui alicui ex eius con-  
uenientia aut disconuenientia cum ipsa natura rationali inesse mora-  
lem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore  
Deo talem actum aut vetari aut praecipere. Quam GROTII defini-  
tionem, cui ius naturae idem est cum lege naturae, a nostra non  
alienam esse, quibus facile intelligere poterit. Cumulari tamen ab  
istis varia, quae demonstranda adhuc erant, non potest negari;  
Nondum enim in antecedentibus ostenderit, quae ea sint, quibus,  
si actiones honestae dicendae sunt, conuenire debeant. Conueniunt  
autem

autem actiones, si rerum finibus naturalibus non aduersentur. Finis in ipsa rerum essentia suam habet rationem, nec alium, quam essentiae rei non repugnantem Deus intendit finem. In definienda itaque lege naturali et ad hominis naturam et ad rerum essentias recte respicitur. Quo pacto amicus Grotianae definitionis cum nostra consensus facile intelligitur.

Reprehendit hanc GROTHII definitionem et iniuste quidem mea sententia PVFFENDORFIVS de I. N. et G. L. I. C. II. §. 6.

§. IX.

Datur in mundo veritas transcendentalis <sup>a)</sup>. Ideo *Datur lex naturae.* de mundo et rebus in eodem existentibus propositiones vniuersales verae formari et ad causas singulares adplicari possunt <sup>b)</sup>. Nunc vero hominem tanquam partem totius mundi spectare licet. Itaque eiusdem essentiae atque naturae non repugnat, quo minus de eo propositiones verae vniuersales condi possint. Denique lex naturae est regula siue propositio, enuncians determinationem rationi conformem (§. III.): praetereaque rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque natura agnoscit. Posita vero ratione sufficiente, ponitur id, quod propter eam potius est, quam non est. Posita itaque hominis rerumque natura atque essentia, ponitur lex naturae. Ergo datur lex naturae.

Idem vult CICERO, quando de Legg. L. I. c. 10. dicit: „Nihil est praestabilius, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse ius. Et alio loco: Repetam, inquit, stirpem iuris a natura, qua duce est nobis omnis disputatio explicanda, et quidem ista duce errari nullo pacto potest. Id ipsum, quod legem atque essentiam nos dicimus, iuris atque naturae nomine philosopho adpellari, in propositulo est. Obseruandum tamen est, posita hac, quam nos dedimus, legis naturae definitione, non negari, habere eam Deum auctorem: siquidem et homo et mundus diuinae potentiae opera sunt. Quod autem homo naturam prius, quam auctorem eius cognoscat, in hominis conditione quaerendum est.

a) Vid. WOLF. Cosmoglog. transcend. S. II. c. II. §. 78.

b) L. c. §. 79.

## §. X.

*Quanam in  
re sit ratio  
legis.*

*Lex naturae in ipsa hominis rerumque natura constituta est (§. VIII.).* Lex moralis in genere praescribit modum determinandi actiones liberas (§. V.). Per ea igitur, quae ad essentiam atque naturam hominis rerumque pertinent, seu, quae homini rebusque per essentiam atque naturam insunt, intelligitur, cur actiones liberae hoc modo sint determinandae, quem lex naturae praecipit,

Lex naturae non in sola hominis natura rationem sufficientem agnoscit. Sed in dirigendis actionibus respiciendi etiam sunt fines rerum naturalium, quos creator iis intendit: et quaelibet actio bona est, quae finibus naturae congruit, quemadmodum turpibus, quae finibus repugnat, merito accensetur. Cultura proinde physices perficit doctrinam moralem. Si v. g. quantitas cibi potusque in quolibet casu adcurate determinari posset, maior sane eorum, qui moderationis in cibo potuque leges qualicumque etiam ratione transgrediuntur, foret culpa.

## §. XI.

*Quid obligatio.*

*Necessitas moralis agendi vel non agendi dicitur obligatio.*

In genere necessarium illud vocatur, cuius contrarium est impossibile. Ut autem res aliqua fieri nequeat, necesse est, ut substantiam agentem vel vires sufficientes destituant: vel motuum quoddam ex perfectione sui ipsius impediatur, quo minus vires alioquin sufficientes adplicare possit. Prius physicam; posterius vero moralem adfert necessitatem. Sic physice non fieri potest, ut homo pondus eleuet vires suas superans: moraliter vero fieri nequit, ut homo, qui lege naturae conuenienter viuit, furetur. Licet enim vires sufficientes ad actionem istam suscipiendam habeat: quia tamen nouit, paratum sibi exinde esse malum, accedente hoc motiuo, non potest rapaces alicui rei iniicere manus. Ex his luculenter quoque patet, moraliter necessarium non absolute, sed hypothetice tale esse; itemque: quamlibet actionem rectam non posse esse non rectam, adeoque in se spectatam necessarium esse bonam, et v. v. Unde vltius colligitur, obligationem quoque, quemadmodum ipsas, ad quas obligamur, actiones, esse necessarias. Probe tamen cauendum est, ne obligatio passiuia cum actiua confundatur, quae est connexio motiui cum actione.

## §. XII.

§. XII.

Obligatio naturalis est, quae in ipsa hominis rerumque natura rationem sufficientem habet. Posita vero ratione sufficiente, ponitur etiam id, quod per eam potius est, quam non est. Posita hominis rerumque essentia, ponitur naturalis obligatio. *Quid sit obligatio naturalis.*

§. XIII.

*Obligatio naturalis necessaria est et immutabilis.* Posita enim hominis rerumque natura et essentia, non potest fieri, ut obligatio naturalis non ponatur (§. XII.): eoque respectu oppositum eius est impossibile. Vocatur autem necessarium, quod hac ratione comparatum est. Cum denique omne necessarium sit immutabile: ego quidem, quo minus et immutabilis illa dicatur, nihil ob stare video. *Est immutabilis.*

Quamdiu itaque homines et res in hoc vniuerso materiales existunt: tamdiu obligantur homines ad id, ad quod naturalis obligatio sese extendit.

§. XIV.

Legem positiuam eam adpellamus, cuius obligatio ab ente quodam rationali pendet. *Quid lex positua.*

Differt hac ratione positua a naturali lege, quae ab hominis rerumque natura ac essentia pendet. Omnis itaque lex vel naturalis vel positua est. Ponamus, vero quemadmodum nonnulli statuunt, legem naturalem non demonstrari posse ex hominis rerumque natura, sequeretur, eam esse positiuam: quo sumto nullam concipere differentiam legis naturalis atque posituae valeo.

§. XV.

Lex dependens a voluntate diuina est positua diuina: *Est vel diuina vel humana.* dependens vero a voluntate hominis positua humana dicitur.

## §. XVI.

*Lex natura-  
lis est positi-  
ua diuina.*

*Lex naturalis est simul positiua diuina.* Siquidem lex naturalis in hominis rerumque essentis possibilitatis suae agnoscit rationem (§. VIII.). Omnium vero rerum adeoque et hominis auctor est Deus (*per princ. theol. nat.*). Igitur et eorum est principium, quae ex illis necessario consequuntur. Lex tandem, quae ab ente quodam rationali pendet, est positiua (§. XIV.). Lex itaque naturalis est simul positiua diuina.

Nulla proinde lex positiua ad ea, quae legi naturali repugnant, aliquem obligare potest. Obligatio enim legis naturae est immutabilis (§. XIII.), quae tamen mutaretur, si vlla positiua lex rationi naturali aduersa aliquem obligaret. Sed hoc repugnat. Neque huic obstat hominis prauitas: facta enim non mutant veritates aeternas. Nec imbecillitas hominis, quatenus vinci potest, eum liberat a culpa, sine speciali scilicet gratia ac dispensatione, quam peccatoribus Sc. S. promittit.

## §. XVII.

*Obligat per  
se.*

*Lex naturalis obligat per se.* Ponamus enim per conditionem impossibilem, non dari Deum, naturae auctorem. Nihilo tamen minus supererit homini facultas cognoscendi legem naturalem ex sua natura rerumque essentis (*per princ. psychol.*). In his vero legis naturalis proxima est ratio (§. VIII.). Cognita itaque ratione legis proxima, ipsam legem perspicere valet homo (*per princ. log.*); adeoque eiusdem obligationem. Nil itaque obstat, quo minus lex naturalis per se obliget.

Viri cuiusdam celeberrimi sententiam, qua dicit, hominem obligari ad legem naturae, etiamsi nullus daretur Deus, inique interpretati sunt eiusdem ofores. Verum quum de obligatione loquitur, qua tenetur atheus, ex hypothesi loquitur impossibili, quam tamen ille, qui Deum negat, pro possibili venditat. Non enim vlllo pacto fieri potest, vt Deus non detur: fieri tamen posse, atheus sibi persuadet. Commissio itaque hoc errore, nondum sequitur, atheum non obligari ad obseruandam legem naturalem: siquidem  
lex



lex naturae in se spectata obligat (§. XII.). Existimat itaque vir supra laudatus, posse naturalibus illis, quae a rerum consecutione pendent, motiuis etiam eorum flecti animos, qui originem naturae et nexus non intelligunt, adeoque auctorem eius Deum inficiantur. Vtrum id legem naturae velis dicere: an legis vocabulum tunc demum adhibere, si motiua actionum considerentur, vt a superiore posita, nostra quidem caussa licebit. Pendebit autem illud a legis definitione, quam rectam iudicamus, si inter ea, quibus composita est, nulla deprehenditur repugnantia. Conf. BULFINGERI *dilucid. Sect. I. c. I. §. 33. Sect. IV. c. V. §. 506. 507.* CICERO iam perspicacior fuit atheis. Videtur enim statuisse ens a mundo diuersum omnium essentiarum fontem: „Dasne, inquit, Pomponi, de deorum „immortalium vi, natura, ratione, potestate, mente, numine, siue quod „est aliud verbum, quo planius significem, quod volo, naturam omnem „regi? Nam si hoc non probas, ab ea nobis caussa ordiendum est potius „sinum.“ De Legg. L. I. c. VII. §. 21. edit. Ernest. Aliorum antiquissimorum philosophorum sententias explicatas legimus in CUDWORTHII *System. intellect. de aeternis iusti ac honesti notionibus.*

§. XVIII.

*Lex naturae obiectiue spectata Deum auctorem habet* *Obiectiue*  
*neccessario.* Sumamus propositiones: Deum existere, nec *spectata De-*  
 non: Deum omnium rerum creatorum esse auctorem, ab *um aucto-*  
 solute esse veras (*per princ. theol. nat.*). Legitimam *rem habet*  
 proinde sequitur hanc futuram sequelam, Deo non existente, *neccessario.*  
 nec dari posse naturam vniuersi atque hominis: quo po-  
 sito, ipsa lex naturae ex vniuersi natura hominisque neces-  
 sario proseriberetur (§. VIII.). Deficiente vero caussa,  
 deficit necessario caussatum: contra posita caussa, ponitur  
 necessario caussatum. Lex itaque naturae in se spectata  
 Deum auctorem habet necessario.

Obiectum est ens, quod terminat actionem agentis. Subiectum dicitur ens, quod habet essentiam ab aliorum entium essentia alienam. Subiectiue itaque res spectatur, si obiectum refertur ad subiectum, vel: si respicio ad alterius, quam de re ista habet, cognitionem. Obiectiue vero rem considero, quatenus obiectum non refertur ad subiectum, vel: si non respicio ad alterius cognitionem, sed rem contemplor, quatenus in se est. Quoniam natura vniuersi in contemplantando subiecti siue hominis obiectum est: contemplatio vero

vero siue cogitatio hominis naturae non semper congruit: patet aliquam dari differentiam in concipienda lege et subiectiue et obiectiue tali. Nec minus per demonstrata in aprico est, legem naturae, obiectiue spectatam, Deum auctorem habere necessario: non autem repugnare, quo minus subiectiue considerata lex vel ex negligentia, vel errore sine Deo existimeretur.

## §. XIX.

Duplici ratione ab homine consideratur.

*Homo leges in natura, tanquam contemplationis suae obiecto duplici ratione, vel ut causatum causae remotae, vel ut causatum causae proximae contemplari potest a).* Homo ens est, successiue cogitans, regulis quibusdam conformiter suas dirigens cogitationes. Logices praeterea ac Psychologiae praecepta docent, naturam mentis humanae, si rationi conformiter cogitare intendit, aliam non pati cogitationum seriem, nisi eam, vi cuius vel a causa ad causatum descendit, vel a causato ad causam ascendit. Necesse igitur est, ut eundem in euoluendis naturae legibus obseruet ordinem. Quum vero causato causa alia remotior, alia propior sit: ipsius indoli non repugnat, cognita causa proxima simul respicere ad remotam (*per princ. reduct.*). Si itaque legis naturae rationem in hominis rerumque natura, tanquam causa eiusdem proxima, agnoscat homo: praetereaque Deum naturae auctorem, atque adeo legis naturae causam remotam existimat: naturae legem, tanquam causatum causae remotae, contemplatur. Omissa vero, vel non perspecta causa remota, legem naturae tantum causatum causae proximae iudicabit. Duplici ergo ratione lex naturae ab homine concipi potest.

a) In respectu ad hominis mentem, causa dicitur principium, causatum vero principiatum. *Arist. Metaph. c. 5. e. 1. principium esse, ait, primum, unde res aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Parum tamen constantem deprehendimus vsum.

SPINOZA legem naturae pro causato causae proximae habuit, remotam siquidem imaginariam existimans. Vera itaque eius sunt demonstrata, quatenus ex lege naturae, tanquam causato causae proximae, deriuata sunt. Demonstraturus autem praeter eandem proximam nullam aliam dari causam, et in forma et in materia peccauit. Conf. WOLF. *log. lat. c. VI. §. 107. Sch.*

§. XX.

*Diuersa legis concipiendae ratio non est in natura, Quod in hominis natura rationem habet.* tanquam contemplationis humanae obiecto; sed in ipsa substantia hominis. Homo, teste experientia, non omnia simul distincte cogitat neque in dirigenda attentione a causato ad causam aliam legem, praeter §. praec. definitam obseruat anima: adeoque duplici tantum ratione in cognoscendis legibus naturae procedit. Natura, obiectum contemplationis humanae, respectu hominis ens est passivum; substantia vero seu homo, actiuum. Actionis itaque ratio non potest esse in patiente seu natura: sed in agente, seu hominis substantia. Iam vero lex rationem suam in natura agnoscit (§. VIII.). Diuersa ergo §. praec. exposita legis concipiendae ratio in hominis substantia, ac speciatim in eiusdem facultate cognoscitiua; non vero in ipsa natura quaerenda est.

§. XXI.

*Si in serie causarum causae prius notae sunt, quam causata: a priori; si vero causata prius innotescunt, quam causae: a posteriori rem cognoscimus.* Suntu A B C D *Quid sit a priori et a posteriori rem cognoscere.* causae; E causatum. Si causatum E rationem existentiae in causis antecedentibus, tanquam principiis, agnoscat: causati vel principiati rationem non prius perceptam habemus, nisi antea cognita sint principia vel causae. Si itaque prius innotescunt causae quam causatum: a priori rem cognoscimus. Si autem causati notionem habemus

C

habemus

bemus claram, proximam vero ac remotam causam nescimus: necesse est ut in enodandis rationibus de proxima causa solliciti simus, quae est D, et ab ea usque ad remotam A ascendamus. Quod faciendo rem a posteriori perspicimus.

Ex eo, quod modo probauimus, collectu non est difficile, altero prius vocari id, quod in se continet alterius rationem: uti posterius altero est, quod rationem sui in altero habet. E. g. Essentia et causa priores sunt attributo et causato: causatum vero et attributum causa et essentia sunt posteriora. Nobis itaque a priori est ea cognitio, qua aliquid cognoscitur, ex eo, quod est prius: a posteriori vero, qua aliquid cognoscitur ex eo, quod est posterius. Ab istis definitionibus non abhorrent sequentes definitiones philosophis receptae; quando cognitionem a priori definiunt per eam, quae ratiocinando innotescit: a posteriori vero dicunt, quae ab experientia proficiscitur. Differunt hae definitiones a primo loco suppeditaris non nisi in eo, quod istae sint generales. Magis vero, si ad cognitionem, quae est in anima, adplicentur, determinandae sunt, ne sensus euadat vagus. Siquidem si priores fuissent definitiones, inuerso modo prius dici posset posterius, et posterius prius. Iam quum notiones prioris et posterioris sic determinentur, ut cognitionis a posteriori ratio experientia sit immediata: ea vero, quae a priori est, per eam explicetur, quae ex solis ratiocinii colligitur veritates: significatus non amplius erit vagus. Nostrae itaque definitiones ordinem in genere respiciunt: Alterae vero modum cognoscendi, per animae naturam possibilem, clariorem eddunt. Hinc inde utrasque cognitu necessarias existimamus, quo pacto omnis facile tollitur ambiguitas, et absque repugnantia adferere licet, nullam in anima, nisi adfuerit antea a posteriori, a priori cognitionem dari. Omnis enim cognitio incipit vel ab experientia indubitatis, vel axiomatibus, vel postulatis, vel definitionibus, consequenter a propositionibus a posteriori cognitis. Conf. WOLF. *Psychol. emp. L. IV. §. 51.* Omnis ergo cognitio a priori ratione originis incipit ab experientia. Paullo alio significato GROTIUS *de iure belli et pacis L. I. c. I. §. 12.* hanc distinctionem adhibet: „Esse autem, inquit, aliquid iuris naturalis, probari solet tum ab eo, quod prius est, tum ab eo, quod posterius. Quarum probandi rationum nulla subtilior est; haec popularior. A priori, si ostendatur rei aliquis conuenientia aut disconuenientia cum natura rationali ac socialis: A posteriori vero, si non certissima fide, certe probabiliter admodum iuris naturalis esse colligitur id, quod apud omnes gentes, aut magis

„*notatiores omnes tale esse creditur. Nam uniuersalis effectus uniuersalem requirit causam. Talis autem existimationis causa, cuius illa videtur esse posse, praeter sensum ipsum, communis quid dicitur.*“ In genere nobiscum consentit GROTIUS, eam a priori vocans cognitionem, quae a principio sufficiente deriuetur, siue a natura, ut loqui amat, rationali ac sociali; a posteriori vero, quae per experientiam, siue sensum, siue, quod fere idem est, ex causato pateat. Sed in sensu specialiori, quo applicat cognitionem a posteriori ad iuris naturae cognitionem, paulisper a nobis discedit: siquidem et a posteriori certa est cognitio, si gentium placita instar principii adsumantur: ipse vero ea tantum ut experientiam probabilem sumit.

§. XXII.

Si multarum serierum nexum cum causa remota communi distincte perspiciamus: notionem causarum adaequatam adquirimus; sin minus, inadaequatam. Notio distincta, quae in notiones distinctas notarum, eam ingredientium, a cognoscente resolui potest, dicitur adaequata. Prima resolutio notionis distinctae in notarum eius notiones distinctas, primus adaequationis gradus appellatur; secunda, secundus, cet. Modus perueniendi ad adaequatas ideas, non differt ab eo, quo peruenimus ad distinctas. Si igitur eodem modo causarum nexum in seriebus, nexumque communem cum causa communi animo distinctum reddimus: nexus istius animo successiue instillamus notionem adaequatam; sin minus, inadaequatam.

*Quid sit cognitio adaequata et inadaequata.*

Vberiore horum explicationem Logica sistit, quae, utpote tyronibus etiam satis cognita, sine ulteriori explicatione hic sumenda duxi.

§. XXIII.

*Notionem causarum adaequatam duplici ratione adquirimus, vel a priori, vel a posteriori.* Nexum rerum perspiciendi duplex datur in homine modus (§. XIX.): Estque vel a priori vel a posteriori (§. XXI.). Modus

*Adaequata acquiritur vel a priori vel a posteriori.*

praeterea perueniendi ad notionem distinctam idem est cum eo, qua adquirimus ideam adaequatam (§. XXI.). Ad notionem vero distinctam peruenimus vel a priori vel a posteriori (*per princ. log.*). Ergo notionem causarum adaequatam duplici tantum via adquirimus.

## §. XXIV.

*Diuersa illa  
cognitio nil  
mutat in ob-  
iecto.*

*Cognitio in homine diuersa nil mutat in obiecto.* Ponamus, cognitionem hominis obiectum siue rem extra hominem constitutam mutare: sequeretur, obiectum modo hanc, modo illam adsumere posse essentiam, prouti homini videretur. Essentiae vero sunt immutabiles (*per princ. ontol.*). Sed hoc pacto forent mutabiles: quod est absurdum.

## §. XXV.

*Cognitio ho-  
minis de lege  
naturae.*

Homo legem naturae vel a priori, vel a posteriori concipere valet. Homo enim in lege naturae contemplanda vel a causa ad causatum, vel a causato ad causam progreditur (§. XIX.). Qui vero hac ratione legem concipit, eam vel a priori vel a posteriori concipit.

## §. XXVI.

*Cognitio le-  
gis naturae  
a posteriori.*

*In concipienda lege naturae a posteriori principium cognitionis hominis rerumque natura et essentia est.* Lex naturae rationem sufficientem in hominis rerumque essentia ac natura agnoscit (§. VIII.). Quae in ente sibi mutuo non repugnant, nec tamen a se inuicem determinantur, essentiam adpellamus. Vis corporum actiua agendi patienduae potentiae ac vi inertiae iuncta, est id, quod naturae nomine compellarunt philosophi. Vid. WOLF. *Cosmol. Sect. II. c. I. §. 145.* Rerum cognitio, quae sola attentione ad perceptiones nostras patent, experientia vocatur.

vocatur. Omnis cognitio humana ratione originis ab experientia incipit (§. XXI. Sch.). Essentiam rerum et naturam experimur, si ad ea, quae sibi in ente non repugnant, nec a se inuicem determinantur, ac ope virium, quae rebus insunt, mutantur, attendamus. Focunda igitur suppeditant natura ac essentia principia, ex quibus praedicata, attributa et modos rerum earumque leges, quibus conformiter agunt, colligere licet. Potentia denique similitudines rerum obseruandi aptam reddit mentem, vt eorum, quae in ente sunt, subordinatiorem inuenire valeat, quorum nexum nexui caussarum in corporibus similem deprehendimus: adeoque datur in nobis, vsque ad caussam communem ascendendi facultas. Principium itaque cognitionis a posteriori primum (quod ipsum tamen in cognitione a priori est vltimum) est iudicium intuitiuum de hominis rerumque essentia ac natura.

Quomodo iudicium intuitiuum resolui debeat, Logica et ars inueniendi docent, quae duplex est, vel a priori, vel a posteriori. Ea a posteriori iterum diuiditur in eam, quae veritatem incognitam eruit vel ex obseruationibus vel experimentis. Vid. WOLF. *Psychol. empir. P. I. Sect. III. c. IV. §. 457.* Quum tamen haec ipsa ars heuristica nondum satis excolta sit: nondum etiam inuenta sunt subsidia, quibus auxiliantibus ea, quae naturae insunt, tanta facilitate per analysin, siue a posteriori, ac per synthesin, siue a priori, demonstrari possent. Quanquam igitur nulla adhuc disciplina philosophica hac ratione demonstrata exister, non tamen fieri posse repugnat, id quod CICERO iam agnouit. Conf. §. 9. *Sch.* Alio loco imbecillitatem humanam, vt ignorantiae caussam (forlan non absolutam intelligit) accusat. Igitur nulla adest ratio, quare modus cognoscendi naturae legem a posteriori menti humanae repugnet. Conf. WOLF. *Log. lat. P. II. Sect. II. c. I. II. III.* Inde et CANZIUS *de ciuit. Dei, Lib. I. c. 2. §. 109.* „Philosophi est, inquit, veritatum particularium fundamenta eruere, et in ipsis detegere veritates generales, quibus nostra cognitio mirifice ampliatur.

*A priori.*

*Cognitionis legis naturae a priori principium primum (respectu cognitionis a posteriori ultimum) Deus est.* Supponimus, legem a priori demonstraturam iam habere notionem Dei a posteriori adquisitam: nec minus eum cognouisse Deum, omnium causam primam siue creatorem. Qui igitur ex notione Dei omnia finita, adeoque naturam et essentiam hominis rerumque, consequenter et leges deriuare valet: illius a priori principium est Deus. Specialiora hac de re si probare velimus, paginae hae non sufficerent. Nos tantum vi principiorum adsumtorum ostendimus, non repugnare, legem naturae tali ratione cogitare. Acute hac de re disserit *WOLFIVS theol. nat. P. II. c. I. II. §. 172. seqq.* Conf. *Ei. praefatio iuri naturae praemissa, in fine.*

Quoniam omnis cognitio ratione originis est a posteriori: talis in homine a natura non datur, in qua omnia a priori deriuari possent: immo et ipsi naturae hoc repugnat. Nihil tamen fecius id non obstat, quo minus cognitio quorundam a priori in anima locum haberet. Sufficit, si in serie quadam a causa prima, quae vere talis est, siue sit ea a priori, siue a posteriori concepta, meditando incipiamus.

Denique circa ea aliud forsitan oriri posset dubium, si quis inferret: *Quoniam Deus sit causa prima, hominis rerumque naturam esse causatum. Naturam vero esse causam legum: adeoque leges naturae causatum. In analysi itaque primum a legibus incipiendum esse.* Nos vero §. *antec.* cognitionem a posteriori a natura ac essentia rerum non a legibus deriuandam adseruisse. Dubium vero hoc hac ratione tollendum putamus. Loquimur §. *cit.* de nexu causarum actuali non mentali. Deus est causa actualis. Hominis rerumque natura est causatum actuale. A priori itaque hoc sensu a causa actuali ad causatum actuale; a posteriori vero a causato actuali ad causam actualem progredimur. Concipiendo autem veritates siue leges a priori et a posteriori possibile concipimus, quorum actualitatem in natura ipsa, quae extra nos constituta est, experimur. Hoc respectu nobis repraesentamus seriem idearum, quae tanquam causae connexae sunt. Ordo itaque praedicatorum ab  
hominis



hominis essentia rerumque natura abstractorum, ac ita dispositum, ut notio hominis sit prima, Dei vltima, eo sensu est cognitio a posteriori. Contra vero incipiendo a notione Dei, et transcendendo ad alias notiones connexas, tanquam causas (quas genera et species adpellant Logici), vsque ad notionem hominis rerumque, hoc sensu dicitur cognitio a priori. Harum notionum nexus in mente existit: alter vero actualis est. Modus cognoscendi res a posteriori peragitur ope resolutionis idearum in simpliciores, quam analysin vocant Logici: a priori vero per compositionem idearum simplicium, quae synthetis dicitur.

§. XXVIII.

*Praesens nostra legum cognitio in veritatum systema- Mixta in tibus, quae existant, partim a priori, partim a posteriori nobis datur. ri, siue mixta est.* Euoluantur philosophorum scripta exacte demonstrata: obseruabis eos non omnia ex vnica notione siue Dei, siue hominis et naturae demonstrare, sed plura a posteriori cognita principia ratiocinando adhibere, hisce alia a priori deriuata immiscere, adeoque mixtum ordinem obseruare.

§. XXIX.

*Legis naturae adaequatam notionem adquisiturus, Quomodo ad- nexum, qui hominis rerumque naturam atque Deum in- tercedit, perspectum habere debet. Quoniam vniuersi ac- equata ad- naturae in homine notio complexa est: licet, imaginatio- nis et rationis ope, naturae nexum per series rerum ex- plicare, quae cum causa prima, siue Deo conspirant. Nexum vero multarum serierum simultaneorum causa quadam communi connexarum perspicuus, adaequatam causarum acquirit notionem (§. XXII.). Itaque legis naturae adaequatam notionem adquisiturus, nexum, qui hominis rerumque naturam atque Deum intercedit, per- spectum habeat, necesse est.*

Nemo quidem adhuc quam distinctissime rerum nexum cum suo principio perspexit: immo vires singulorum hominum superare illud videtur.

videtur. Interim tamen eorum non contemnendum est studium, qui nexum istum, quantum licet, methodo quamuis mixta, distincte explicarunt. Etenim, qui notionem mundi, animae ac Dei satis euolutam mente tenet, non solum nexum istum penitus diiudicabit, sed et legis naturae aeternae stamina delineata habebit: ex quibus ipsi patebit, quantum doctrinam metaphysicam nosse iuuet. Sedulo praeterea tenendum est, humanae naturae non aduersari duplici ratione adaequatam notionem, siue a priori, siue a posteriori adquirere (§. XXIII.)

## §. XXX.

*Conceptus diuersi legis naturae non mutant ipsam legem.* *Legis diuersa concipiendae ratio nil mutat in eius essentialibus.* Quoniam modi concipiendae legis naturae ratio non est in obiecto siue natura, sed in hominis substantia (§. XX.): diuersaque hominis cognitio nil mutet in obiecto (§. XXIV.): sequitur, essentialia legis, quacunque ratione concepta, salua manere.

Si ergo euictum est, Deum esse auctorem et gubernatorem rerum, non ideo atheus legis essentialia mutat, quia in euoluendis naturae legibus vsque ad Deum non ascendit, et legem a Deo non latam somniat. Sufficiat scire, naturam obiectiue talem non esse sine auctore (§. XVIII.)

## §. XXXI.

*Cognitio imperfecta aliter instruit mentem quam perfecta.* *Cognitio legis naturae a posteriori imperfecta aliter quam ea a priori, quae perfecta est, hominis instruit mentem.* Cognitionem a posteriori imperfectam, eam intelligimus, quae non protenditur vsque ad seriem causarum communem. A priori perfectam adpellamus eam, quae a causa communi incipit, et vsque ad ea, quae in seriebus sunt vltima, continuatur (§. XXIII.). Qui proinde in legis naturae ratione seu causa proxima subsistere non dubitat, non nisi a posteriori imperfectam seu minus adaequatam adquirat notionem, simulque ignorantia vincibili laborat. Talis est v. g. atheus, qui Deum esse ex ignorantia negat. Qui vero a prima causa rationum

ciniorum seriem incipit, eamque naturae causam existimat, tandemque legum rationem in natura perspicit, ille perfectam sibi legis naturae notionem a priori comparat, adeoque legem naturae habere auctorem dubitare nequit. Quum denique pro diuersitate principiorum hominis mens alia atque alia ratione instruat, eoque perfectior sit mens, quo foecundiora perspexit principia: Deus autem principium omnium sit foecundissimum; natura contra minus foecundum: hinc inde extra omnem dubitationis aleam positum est, cognitionem legis a priori perfectam aliter, quam eam a posteriori imperfectam, hominis mentem instruere.

Eadem ratione inuersa thesis demonstratur: *Cognitio legis a priori imperfecta aliter mentem hominis instruit, quam ea a posteriori perfecta.*

§. XXXII.

*Qui legis naturae notionem a priori perfectam sibi comparauit, eam concipit positiuam diuinam. Qui vero eiusdem cognitionem a posteriori imperfectam adquisiuit, eam naturalem tantum concipit.* *Quomodo exinde concipiatur lex vel ut positiuam diuinam, vel ut naturalem.* Legem positiuam diuinam eam adpellamus, cuius obligatio a Deo pendet (§. XV.). Qui vero a priori in legis naturalis rationem inquit, naturae legisque nexum cum Deo auctore intelligit (§. XXXI.), atque obligationem legis naturalis a Deo auctore deriuat, adeoque eam positiuam concipit. Sed legis a posteriori imperfectam habens cognitionem, obligationem tantum naturalem esse credit (§. XII.): itaque non potest non legem tantum naturalem concipere.

Lex naturalis in se spectata est simul positiuam diuinam (§. XVI.). Sed respectu tantum hominis ac per naturam ipsius animae duplici ratione concipitur. Quod si hoc iuris naturae doctores, qui de recte concipienda lege per saecula inuicem disputarunt, probe notassent ac perspexissent, sine ambagibus litem definire potuissent,

D

qua

qua disceptatur, an legis naturae definitionem notio legislatoris ingredi debeat, nec ne. Quilibet facile hac ratione perspiciet, utrorumque sententias ita posse conciliari.

## §. XXXIII.

*Citius inno-  
tescunt leges  
quam legis-  
lator.*

*Leges naturae citius innotescunt homini, qui rationem in cogitando adhibet, quam auctor naturae seu legislator.* Siquidem omnis rerum cognitio distincta adquirenda non innata est, et ab experientia siue a posteriori, incipit. Experientia itaque magistra de iis conuicti sumus, quae profunt atque felicitatem nostram promouent. Propositio contra: Deus existit, plerisque theorema est, de cuius veritate non nisi facta regularum logicarum applicatione, plurimumque veritatum vniuersalium cognitione hominis mens conuincitur. Praecedit itaque regularum aliarumque notionum distincta cognitio, supponenda prius in homine, antequam veritatem hanc capere idoneus habeatur. Sed in cognoscendis legibus naturalibus maxima ex parte experientiam magistram habemus. Prius itaque innotescunt homini, qui rationem in cogitando adhibet, leges naturae, quam legislator.

Dei notio omnibus hominibus natura, imo et Deum negantibus, sed quam maxime obscure inest: quo fit, ut ne quidem conscii illius sint. Si thesis metaphysicorum, simplicia adeoque et hominum animas mundi notionem habere obscuram, veritati sit consentanea, et praeterea, hanc thesin: Partem qui totius cogitat distincte, totius notionem ob nexum partium habebit obscuram, eodem quoque niti fundamento, certum sit: sequitur, animam humanam mundi notionem ex minima parte habere claram, sed ex maxima obscuram. Cogitat itaque hoc posito obscure, quae per istam mundi notionem cogitari possunt. Quum vero notionem Dei ex notione mundi ope ratiociniorum distinctam facere viribus nostris non repugnet: sequitur, quemlibet Dei ignarum eiusdem habere notionem obscuram.

Ne in illorum, qui consequentis falsis pugnant, reprehensionem incidamus, differentiam notionis mundi in anima ab ea, quae

CONCIPIENDAE RATIONE. XXVII

quae est in Deo, adhuc sumus ostensuri. Metaphysici mundum diuidunt in sensibilem et intelligibilem. Sensibilem dicunt sub ea forma spectatum, qua in sensus incurrit; intelligibilem vero, qua distincte vi intellectus repraesentatur. Mundum igitur sensibilem in intelligibilem mutamus, si ope ratiociniorum eius notionem faciamus distinctam: quo obscura in quolibet subiecto, quantum licet, fiant distincta. Ab ista autem mundi idea in homine mirum in modum differt, quae est in Deo. Ille enim vno intuitu absque mora omnia elementa, simplicia, eaque quae ab homine, nec sensu armato, distinguuntur, quam distinctissime perspicit. Vid. WOLF. theol. natur. P. I. c. II. §. 202.

§. XXXIV.

*Lex naturae, quam positiuam diuinam concipit homo, ea, quam mere naturalem iudicat, obligat fortius.* *Lex positua naturalis fortius obligat.*  
 Obligatio actiua est connexio motiui cum actione. Quo plura itaque sunt motiua, eo maior est obligatio. Lex vero positua diuina dependet a voluntate diuina (§. XV.), naturalemque per se obligantem includit (§. XVI. XVII.). Dei proinde voluntas in agendo motiuum est; nec minus legi naturali in se consideratae necessitas moralis agendi vel non agendi siue obligatio inest: adeoque et ratio sufficiens  $\tau\bar{s}$  nolle et  $\tau\bar{s}$  velle siue motiuum. Qui itaque legem positiuam diuinam concipit duo motiua primaria sentit. Numerus igitur motiuorum in lege, quae tanquam positua concipitur, maior est. Ergo obligat fortius et efficacius quam naturalis, quae vnicum tantum motiuum agendi suppeditat.

Adhuc monere iuuat, neminem distincte legem positiuam concepturum esse, nisi qui eiusdem notionem vel a priori, vel a posteriori compertam habeat. Haud quidem vulgo desunt, qui ex motiuis vel a religione, vel ex errore et superstitione, vel consuetudine desumptis Deum eorum, quae sibi facienda sunt, et legislatorem et iudicem nominant. Immo et infima plebs in actionibus naturalibus memoriae et imaginationis ope Deum hoc vel illud praecipisse, reminiscitur. Verum in praesenti de his non loquimur: sed de iis, quibus ratione vti concessum est.

## §. XXXV.

*Maiores inde  
oriuntur im-  
putatio.*

*In transgressione legis, quae positiua diuina concipitur, maior est imputatio, quam ea, quae in transgressione legis, vt naturalis spectatae, datur.* Imputatio est iudicium, quo agens eius, quod ex actione ipsius sibi vel aliis boni malique consequitur, causa declaratur libera. Actiones homini imputantur, quatenus sunt liberae. Etenim is, cui actio imputatur, causa libera boni vel mali, ex actione ista sibi vel aliis emergentis, declaratur: et quo magis libera fuerit causa, eo magis imputatur. Magis vero libera est, si plura adsunt motiua, quae ad agendum determinant, quam si pauciora innotescunt. Siquidem entia libera non possunt cogi, nec sine motiuis *τὸ* velle aut nolle in anima datur (*per princ. psychol. empir.*). Quo plura itaque et fortiora sunt motiua, eo facilius nos ad agendum vel non agendum aliquid determinamus. Legis naturalis vero, quam positiuam concipimus, obligatio, ea, quam deprehendimus in lege naturali, simpliciter tali, est fortior et efficacior (§. XXXIV.). Transgressio itaque legis naturalis vt positiuae consideratae, magis quam legis naturalis simpliciter spectatae transgressio imputatur.

Ex his adeoque facile colligitur, Deum contentium imputationem multo esse acerbioram, ea, quae cadit in atheos. Sciunt equidem illi, vident meliora probantque, nihilo tamen fecius sequuntur deteriora.

## §. XXXVI.

*Et culpa.*

*Legem naturae positiuam esse, qui perspicit, sciensque transgreditur, in maiori, quam qui legem eam tantum naturalem existimat, sciensque violat, culpa deprehenditur.* Culpa est defectus rectitudinis actionis, quoad intellectum vincibilis. Negligentia est ommissio diligentiae, quam in facultatum cognoscendi vsu adhibere debuisset

buisset et potuisset homo. Quo maior itaque fuit negligentia, eo maior est culpa. In agendo vero altero negligentior est, cui plura quam alteri, ad agendum sunt motiua, quo minus contrarium agere debeat; qui tamen in ipso actu non attendit ad motiua, cum in eius potestate fuerit; et inde errorem vincibilem committit. Qui igitur pluribus motiuis ad agendum gaudet, quam alter, nec ad ea reflectit, omittendo actionem maiorem incurrit culpam, quam alter. Qui denique legem naturae positiuam concipit, pluribus ad agendum gaudet motiuis quam ille, qui naturalem existimat (§.XXXIV.). Ille itaque in transgressione legis in maiori, quam alter, est culpa.

Nam quis existimet, nos eo impietatis delabi, ut atheum culpa liberemus. Maximam sane incurrit culpam atheus: siquidem errorem eius vincibilem esse, nemo, saniora edoctus, negabit. Nos in comparanda tantum athei cum alius hominis, Deum non negantis, culpa versamur, qua ratione eius culpam omnino minorem esse ex principiis adductis recte nobis collegisse videmur. Quanquam ex altera parte, quatenus in ignorantia vincibili versatur, culpam eiusdem iterum augeri facile largiamur.

## §. XXXVII.

*Conscientia eius, qui sibi conscius est, se contra legem naturae positiuam peccasse, magis laesa est, quam illius, qui, se legem naturalem violasse, conuictus est. Iudicium de moralitate actionum suarum, vtrum scilicet sint bonae an malae; vtrum committendae an omittendae, dicitur conscientia. Iudicium, quod actio sit mala, eo maius parit taedium, quo plura adsunt motiua seu rationes, confuse perceptae (per psychol. empir. princ.), ob quas veremur, actionem perpetratae esse malam. Qui vero nouit, se peccasse contra Deum ac naturae suae perfectionem, plures nouit peccati rationes, quam qui legem naturae se violasse, sibi conscius est. Quo maior denique*

rationum; ob quas se quis peccatorem credit, est numerus, eo maius est taedium (*per princ. psychol. empir.*). Qui vero taedium ex actione mala oriundum sentit, se lacsum aestimat. Hinc inde patet, cuius conscientia in dato casu sit magis laesa, quam alterius.

Iudicium de actione perpetranda, conscientia vocatur antecedens: de perpetrata vero, consequens. Morfus conscientiae dicuntur taedia, cum affectibus molestis, quae conscientiam consequentem accusantem comitantur. Quo plura quis sentit taedia, eo maior morfus conscientiae gradus est, quod facile ad diversam legis concipiendae rationem adplicari potest. Peccans videlicet contra legem positivam maiorem morfus conscientiae sentit gradum, quam qui naturalem tantum ex sua sententia violavit.

## §. XXXVIII.

*Poenae atque timor, spes atque praemium maiora sunt.*

*Poenae et praemium, naturale consequens legis naturalis, minorem iniicit homini timorem et spem, quam poena et praemium, consequens legis naturalis positivae, quae maiorem in animo generant spem ac timorem.* Poena naturalis dicitur, quae ex actione necessario sequitur: positiva contra, quae ex mera legislatoris voluntate cum actione libera connectitur. Praemium naturale et positivum eadem ratione mutatis mutandis definiuntur. Timor est adfectus, qui oritur, si malum quoddam nobis tanquam adpropinquans, repraesentamus. Poenam adpropinquantem timemus, siue sit naturalis siue positiva. Quo plura vero motiva seu rationes adsunt timoris: eo maior; quo pauciora: eo minor ille est. Lex naturae simul est lex divina (§. XVI). Poena itaque naturalis, si simul ut positiva spectetur: duae adsunt timoris rationes, natura nempe et Deus. Maior itaque timor est, timendo poenam positivam quam naturalem. Quod erat prius.

Spes est adfectus, qui oritur, si bonum quoddam nobis repraesentamus, tanquam obtentu possibile. Praemium



mium obtentu possibile existimamus, siue sit naturale siue positium. Quo plures igitur nos potiundae alicuius rei in mente tenemus rationes: eo maior; quo pauciores: eo minor est spes. Quum vero lex naturae simul sit lex diuina (§. XVI.): sequitur, praemia naturalia simul fore positia. Duae ergo bene agentibus adsunt rationes, vnde praemia futura speramus, quorum altera est in Deo remuneratore, altera in natura. Exinde spes ad praemium positium obtinendum maior est, quam si naturale tantum speremus.

Ex antea dictis patet, dari et  $\tau\delta$  maius et  $\tau\delta$  minus in anima. Vbi vero maius et minus, ibi quantum. Quanta possunt metiri. Igitur imputatio, culpa et plura, quae animabus insunt, etiam possunt metiri. Nondum tamen mathesis ad animae qualitates applicare nobis datum est. Hinc in graduum determinatione plura adhuc incerta manent. ICTorum proinde diuisio culpae in leuem, latam et leuissimam, paullo incerta et vaga esse videtur. Minima tamen non curat Praetor.

§. XXXIX.

*Legis positivae concipiendae ratio praestat legis naturalis concipiendae rationi.* Lex, quae poenas positivas et praemia positiva introducit, libertatem hominis auget (§. XXXV.). Plura enim ipsi sunt motiua ad agendum vel non agendum: Imputationem facit grauiorem (§. cit.) quae hominem ad bene agendum impellit. Lex positiva plura, quam naturalis, suppeditat motiua ad bene agendum. Modus itaque legem concipiendi positivam praestat modo, eam concipiendi naturalem.

*Legem positivam concipere praestat.*

Inde CICERO de legibus L. II. c. VII. *„Sic igitur hoc, inquit, nam a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatores Deos; caeque, quae geruntur, eorum geri iudicio ac numine: eosdemque optime de genere hominum mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intrinseci: piorumque et impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab vtili et a vera sententia. Et paullo post: „Vtiles esse autem opiniones has, quis neget,*

„neget, quum intelligat, quam multa firmentur iocurando, quantae  
 „salutis sint foederum religiones? quam multos diuini supplicii metus  
 „a scelere reuocant? quamque sancta sit societas civium inter ipsos,  
 „diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus?

## §. XL.

Methodi  
 mixtae ea-  
 dem, quae  
 cognitionis  
 a priori et  
 posteriori est  
 ratio.

Qui in cognoscendis legibus naturae principio, metho-  
 do mixta cognito, utitur: ille itidem, ac in ea, quae a priori  
 et posteriori est, cognitione, prouti debitum facultatum sua-  
 rum usum adhibet vel non adhibet, legem vel positiuam vel  
 naturalem tantum concipere valet, et eadem in eo obseruabi-  
 tur respectu imputationis, culpa et reliquorum differentia,  
 quam in diuersa legis concipiendae ratione in antecc. §. §.  
 adnotauimus. Qui veritates communes, psychologiam em-  
 piricam, cognitionemque physices a posteriori stabilitam,  
 principia ratiociniorum adsumit, et ex iis notionem mundi  
 in genere, doctrinamque de Deo naturalem a prioriprobat,  
 tandem ex his legem naturae demonstrat, principio utitur  
 methodo mixta cognito (§. XXVIII.). Si igitur ope prin-  
 cipiorum vsque ad notionem Dei distinctam progreditur:  
 nil obstat, quo minus legem naturae positiuam concipere  
 valeat (§. XXXII.). Si autem virium suarum usum vsque ad  
 Dei notitiam non extendit; defectus, quare legem tantum  
 naturalem concipiat, in ipso habebit rationem. Quum vero  
 in eo, qui legem vel positiuam vel naturalem concipit,  
 aliqua in imputatione, culpa et aliis sese exerat differentia  
 (§. XXXV. seqq.): sequitur et in eo, qui in concipiendis  
 legibus, principio methodo mixta cognito utitur, eandem  
 conspicuam esse differentiam.

Cui regulae logices earumque rationes perspectae sunt, de his  
 non dubitabit. Et si cui haec obscura adhuc sint, scito, nec omnia  
 dubia hic enodari, nec harum rerum plane imperitum breui eius-  
 modi scripto satis erudiri posse. Interim existimauerim, has qua-  
 lesunque lucubrationes a nullo emunctioris nati inter inanes sub-  
 tilitates et quaestiuunculas relatum iri, cum quilibet, nisi attentio-  
 nis vsu destitutus, eandem in vita morali vtilitatem facile de-  
 prehendere

prehendere possit. Id tamen notari velim, eum, qui ex metaphysica atque physica hominis rerumque essentiam ac naturam perspectam habet, (§. VIII.) legem naturae inde, tanquam ex principio, deriuare; nilque referte, vtrum principium illud totum a priori; an vero a posteriori; an denique partim a priori, partim a posteriori cognitum fuerit. Quatenus vero ex isto principio leges deriuantur, a priori demonstrantur, quam tamen demonstrationem nondum plane confectam habemus.

## §. XLI.

*Diuersi legis concipiendae modi, quos actu in hominibus, ut indiuiduis spectatis, deprehendimus, ex cuiusuis natura et speciatim habitibus acquisitis demonstrandi sunt.* Quatuor sunt potissimum in anima facultates conspicuae, imaginatio nempe, memoria, ingenium et ratio. Habitus earum in diuersis subiectis admodum esse diuersos, quotidie experimur. Alii ingenium, alii memoriam, alii denique rationem magis in sua potestate habent. In habitu ergo acquisito differunt animae (per psychol. empir. princ.) Modus vero rem concipiendi a facultatibus et habitu per vsum acquisito pendet. Tot ergo sunt modi concipiendi, quot animae facultates. Et quoniam habitus non connatus est, sed acquisitus: sequitur, et modum rem concipiendi non connatum esse, sed acquisitum; quanquam in facultatibus connatis non quidem vnicam, sed in mediis quoque externis rationem habeat. Hinc inde porro inferitur, modum rem concipiendi non esse animae essentialia, sed accidens. Prouti denique in vfu singularum facultatum maior vel minor est habitus; eo maiorem vel minorem in concipienda re apud homines obseruamus differentiam. Id quod sicuti in genere, sic pari ratione in specie, in concipienda scilicet lege naturae, locum habet. Qui enim legem, inscius rationis, positiuam concipit, ope memoriae reminiscitur, Deum huius vel illius facti grauissimum vindicem se a prima iuuentute audiuisse. Hinc inde modi istius concipiendi ratio est in

*Modi legem concipiendi diuersi ex natura hominum particulari demonstranda sunt.*

E

facul-

facultate ideas reproducendi et recognoscendi seu in imaginatione et memoria. Qui ope ingenii animam fingit, cui nulli sint limites, atque hoc modo, vel alia simili ratione concipit, eumque naturae auctorem iudicat, ope ingenii sibi legis positiuae format notionem. Qui tandem rationis ope a priori vel a posteriori legem concipit, modo, §. §. antecess. exposito, procedit. Si quis experientiam consuluerit, obseruabit facile, maximam hominum partem legem naturae positiuam non eodem modo sibi imaginari. Plurimi allegant Deum auctorem, eumque hoc vel illud naturae aduersum vetuisse adfirmant: Sed ex eorum conditione particulari probabili ratione conicere licebit, vtrum historica an philosophica cognitione animum imbuerint. Quemlibet itaque ipsa experientia adfert veritatem facile docebit.

Sic v. g. homo notione Dei distincta destitutus, supersticiosus, et vere Christianus legem naturae positiuam concipit, sed non eodem modo. Plebeius ille, notione sua obscura contentus, Deum esse, aliorum verbis innixus, testatur. Verus Christianus Dei notionem, quam mente tenet diuina operatione, qua fides in illo accenditur, confirmatam sentit. Supersticiosus, qui Deum colit ex motibus a rebus non diuinis seu creatis desumptis, quae tamen Deo minime tribui possunt, falsam de Deo ex parte notionem in concipienda lege supponit. Superstitio inde complectitur cultum Dei peruersum, (quod iam CICERO agnouit, de natur. deor. L. III. c. 28.) cuius diuersae exstant species v. g. idololatria, paganismus, iconolatria, artolatria, cet. Notio haec Dei in hominibus diuersa siue imaginatione ac memoria, siue ope ingenii adquisita, siue fide cognita in legis naturae cognitionem et modum concipiendi omnino influit. Parit enim in imputatione, conscientia et culpa concipienda aliquam differentiam. Horum modorum concipiendi ratio in conditione hominum peculiari conspicitur. Conditionis vero hominis habituumque ratio partim in essentia hominis, partim in eis, quae extra eum sunt, a quibus determinatur, inuenitur. Externa sunt v. g. educatio, quam omnium eandem esse, praesens mundi ratio non permittit. Cultura inde animorum diuersa est, quam non omnes philosophorum scholas frequentent, et plurimorum studium in veritate inuestiganda admodum exiguum sit. Non igitur miramur, qui fiat, vt multi, rationis inficii, legem naturae positiuam concipiant, prouti Dei cognitionem vel historicam, vel peruersam tenent. Quem quidem defectum  
et

et exinde prouenientem culpam gratia Dei specialis in homine pio supplet. Haec nobis digna visa sunt, quae hic adicerentur, quo ea, quae in §. demonstrata sunt, fundamento suo non destitui perspicui possent. Plura obseruatu aequae necessaria addere nobis non commodum visum fuit: reliqua enim cuique ex iis, quae diximus, cognita sunt facillima. Contrahimus itaque vela, iis, quae exposuimus, alia quaedam, recte connexa, ultimo loco subiuncturi.

## §. XLII.

*In lege naturae definienda consultius est legislatoris nullam facere mentionem quam cum expresse nominare.* Quomodo magis in usus nostros transferri potest definitio: eo melior est. Iam vero neutra ratione legem naturae definire repugnat. Si enim legem naturae obiectiue consideramus. Deum auctorem habet necessario (§. XVIII.) Subiectiue vero duplici ratione et cum et sine Deo (§. XX. XXXI.) spectari potest. Omnes denique philosophi legem in essentia ac natura hominis rerumque rationem habere admittunt: non vero omnes Deum esse concedunt. Ad usum itaque aptior est definitio, quae legislatoris nullam facit mentionem, quam quae eum expresse nominat.

*Quaenam  
L.N. definitio  
sit optima.*

Sunt, qui sumunt, non fieri posse, ut homo uiuat sine lege, adeoque inferunt, ipsum necessario habere superiorem, et proinde dari superiorem. Sed nec recte sumunt, quod probari debent, nec ex eo, quod priori loco ponunt, recte concludunt, quemadmodum factis intelligunt, qui iuris naturae originem perspectam habent. *vid. WOLF. I. N. P. I. c. I. §. ult. Sch.*

Non absolutae itaque necessitatis est, in definienda legis notione legislatoris nullam facere mentionem. Vtrumque enim licet. Melius tamen fore adferimus, legislatoris in definitione, non meminisse. Non desunt quoque, qui regulam hanc proficuum esse existimauerunt. Sic CICERO L. I. de legg. §. 19. edit. Ernesti. „Lex est, inquit, ratio summa, insita in natura, quae iubet, ea quae facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et confecta, lex est. In eo conuenit cum CICERONE VLPIANVS L. I. Tit. II. instituit. cui ius naturale seu lex naturae est, quod natura omnia animalia docuit. Inter recentiores eandem obseruarunt regulam THOMASIVS Iure N. et G. c. V. §. I. KOEHLERVS, cui lex naturalis est norma, cui actiones liberas ductu naturae obtemperare obligamur. I. N. et

XXXVI DE DIVERSA LEGIS NATURAE CONCIP. RAT.

N. et G. cap. de obligat. moral. §. 350. coll. §. 277. WOLFIVS philosoph. pract. vniu. c. II. §. 135. Ab ea vero regula recedit GROTIIVS de I. B. et P. L. I. c. I. §. X. „ Ius naturae, (quod ipsi idem est ac lex naturae) inquit, „ est dictatum rectae rationis indicans actui alicui ex eius convenientia et disconvenientia cum ipsa „ natura rationali et sociali inesse moralem turpitudinem, ac consequenter ab auctore naturae Deo talem actum aut vetari aut praecipui. Sequitur eum PVFFENDORFIVS I. N. et G. L. I. c. VI. §. 4. Lex, inquit, commodissime videtur definiti per decretum, „ quo superior sibi subiectum obligat, ut ad istius praescriptum actiones „ suas componat. Nihil tamen fecius, non obstant definitionum varietate, et cum nostra §. VIII. data, et earum inuicem inter se, ad vnum omnes possunt conciliari definitiones. Secundum regulam in Logices principiis fundatam, melius est, definitiones, non repugnantes, sed discrepantes, conciliare, quam taxare. In hisce vero conciliandis definitionibus potissimum notandum est, vtrum auctor definitionis legem subiectiue, an vero obiectiue definit. Nos eam §. VIII. obiectiue definiuimus, quemadmodum et CICERO recte fecisse videtur: Lex, inquit, est ratio iuxta in natura. Non itaque respicit facultatem agendi, seu ius, quod est in homine: sed naturam, obiectum contemplationis nostrae, rationem legis allegat. Mox tamen explicat, quid sit lex subiectiue talis, dicens: Eadem ratio in hominis uente confirmata et confecta, lex est. Obiecti seu naturae magis rationem quam subiecti seu hominis, in quo est ius seu facultas agendi, habuisse videtur PVFFENDORFIVS. Supponit tamen, Deum naturam creasse, ideo, quoniam decreuit, eandem creare. Quo respectu Lex decretum seu lex positua diuina recte dici potest. Ab ea non distat KOEHLERI definitio, legislatoris quanquam nullum, habeat respectum: naturam tamen siue obiectum pro norma ponit. Ad subiectum seu hominem magis quam ad naturam GROTIIO et VLPIANO respicere commodius videtur. Recta enim ratio secundum istius mentem vnumquemque docet, ipsi inesse facultatem agendi seu ius, quam ab VLPIANO sententiam adoptasse videtur. Haec tamen diuersa legis concipiendae ratio non impedit, quo minus definitiones recte constructae dici possent. Quo pacto omnis corrueret inter eruditos huc vsque agitata disputatio.

PERSIVS Sat. I.

Quisquis es, o modo quem ex aduerso dicere feci:  
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,  
Laudari metuum. Neque enim mihi cornea fibra est:  
Sed recti sinemque extremumque esse recuso;  
Euge tuum et belle. Nam belle hoc excute totum.  
Quid non intus habet?



ULB Halle  
003 850 080

3



*Sb.*









10273

1741, 6 <sup>M</sup>

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
DIVERSA  
LEGIS NATVRAE  
CONCIPIENDAE RATIONE

QVAM  
EX  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI  
DIE VI. DECEMBRIS A. M DCC XLI  
PVBLICAE DISQVIVISIONI SISTIT

IOH. GOTTLIEB IOACHIM  
A. M.

RESPONDENTE  
HIERON. GEORGIO GLÖCKNERO  
FREIBERGENSI.

---

LIPSI AE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

*Joh. Gottlieb Ober...*

